

Nat. partibus, hodie autem Mineralogia mihi specialiter designata est, nec in omnibus adæquati quidquam præstare hominibus datum. Impetravi a Collega D. Oedero inclusa semina, quæ Tibi forte haud ingrata erunt quorum nonnulla in Catalogo Specierum Pl. non inveniuntur, si de hisce, dum adoleverint, certiolem me reddere velis, et nonnulla pro Instituto nostro Botanico communicare, par pari referre conabimur. Ratio instituti (avertissement) operis Floræ Danoe-Norvegicæ hisce diebus publicatur prelo, hoc quam primo Tibi mittam.

Quas in Itineribus chartæ coneci observationes, bene multæ autem sunt per septennium factæ, huc usque in ordinem redigere propter alia et graviora negotia non potui, quam primum autem spero partem Italicam procedituram fore.

Mirum sane descriptiones mineralogicas adhuc vix ultra illa objecta extendi, quæ septentrionalis continet Europa, classemque vulcanicam plane desiderari, quæ tamen terrarum, petrarum, minerarum etc Species bene multas continet, hisce præsertim abundat Italia tanta quanta olim combusta, sed hæc tempora spheram chronologiæ nostræ excedant necesse est.

Montes in his regionibus constant calcareo albido ut plurimum, impalpabili, puro a summo ad imum, colles Lava, Islandi Röyne vocant, structura et duritie saxi, micacei, ferruginei (si ex abundantia micæ circa vulcanos concludere liceat, et hæc productum vulcanicum habenda), Planities, et in Specie Romana 30 Mil. ital. diametri Puteolanæ speciebus variis, hæc, quæ secundum Plinium mirabilia facit, jam in loco natali prope Puteolum (pouzzoli) Giura vocati, Plures in Vesuvio dies degi, quem etiam in hisce habui magistrum.

Vides itaque, Vir illustris, quod Europa australis in regno lapideo nobis magis ignota sit quam vegetabili, idque propter facilitatem majorem in uno quam in altero. Scribam Charlottoburgi Hafniæ aprilis d. 24 1761. \*)

\*) Oversat i Linn. Corr. II, 483.